

EPISTULA LEONINA

CCIX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM NONAM (209) !

ARGUMENTA

DUM SPIRO SPERO.....	03
CHRONOGRAMMATISCHES ALBUM (<i>Demming</i>).....	04-08
XX CHRONOGRAMMATA IN ANNUM MMXX (<i>P. Douteil</i>).....	09-12
FABELLA GRIMMIANA: De spiritu Iagoenae incluso.....	13-17
LABORINTUS EVERARDI EDITUS ET THEODISCE REDDITUS.....	18

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam nonam (209). Utinam tibi sit occasiuncula has pagellas Latine scriptas perlustrandi. Habes chronogrammata a Iohanne Demming et Patre Herberto Douteil artificiosissimè confecta! Necnon habes Fabellam Grimmianam – iam undecentesimam. Babae, quam fecundi facundique fuerunt isti fratres Grimmiani! Utinam ne praetermittas Laborintum librum mediaevalem nuperrimè editum et theodiscè redditum! Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruerere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Dominicâ, 26. m.Ian. a.2020



DUM SPIRO SPERO
DUM SPERO AMO
DUM AMO VIVO

cfr THEOPHRAST Idyllia 4,42 *ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.*

cfr CICERO Ad Atticum 9,10,3 *Dum anima est, spes esse dicitur.*

Chronogrammatisches Album aufs laufende Jahr 2020

ANNVS NOVVS BONAM FERAT FORTVNAM

Das neue Jahr bringe Glück!

Getreu Horaz Od. II, 3

NOVO QVOQVE ANNO

SEMPER AEQVA MENTE

Auch im neuen Jahr immer mit der Ruhe!

**Warnung an die Trumps und Bolsonaros
in der Welt und in uns selbst**

**INFINITA NEFARIA POSSESSIONIS
POTENTIAEQVE AVIDITAS NOS HOMINES
PERDET**

**Grenzenlose Macht – und Besitzgier wird uns
Menschen den Garaus machen.**

Spielerei mit Descartes

DVBITO ITA SINE DVBITATIONE SVM

Ich zweifle. Daher bin ich, ohne Zweifel.

O lieb, solange du lieben kannst!

**NVNC NERVIS LYRAE SVAVE
 RESONANTIBVS TIBI LIBERE SALTANDVM
 CANTV VIX FINITO TV FRVSTRA CONITERIS**

Jetzt, da die Saiten der Lyra süß erklingen, musst du nach Herzenslust tanzen. Kaum ist die Musik zu Ende, ist all dein Mühen umsonst.

Epikur lässt grüßen

**ABEVNTE MORTIS TIMORE VERA VITA
 INIT**

Mit dem Schwinden der Todesfurcht beginnt das echte Leben.

Kleine Seneca-Variation als Wunsch

**QVID IPSI SITIS INTERSIT NON QVID
 HABEAMINI**

Was ihr seid, darauf soll es ankommen, nicht, für was man euch hält!

Münster 1648

PAX OPTVMVM

Der Friede ist das höchste Gut!

Der Stoiker spricht

**MORIERIS INSIPIENTIAE EST TIMERE QVAE
 VITARIER NON POSSINT**

Du bist des Todes. Nur ein Tor fürchtet, was sich nicht vermeiden lässt.

Uhr vs. Zeit

**RVVNT HORAE NOSTRAE MANET VERO
TEMPVS**

Sie stürmen dahin, unsere Stunden. Die Zeit aber bleibt.

Kalender vs. Zeit

***MENSES TRANSEANT VSQVE STAT VERO
TEMPVS***

Die Monate, sie mögen immerfort vergehen. Es bleibt aber die Zeit.

Warnung vor Rattenfängern

**PROGENIES TERRESTRIS NOLI FIDERE
SALVATORIBVS SIVE ALVATRICIBVS VT
AIVNT ACVTE TRISTIA HORRIDAQVE
RESONANTIBVS AT TV CREDE RATIONI**

**Erdenvolk, mißtraue den sogenannten
Erlöser(inne)n, die mit schriller Stimme traurige
Gräueltex te tönen! Nein, du vertraue der Vernunft!**

Nur von des Geschickes Mächten . . .

**NON AB ORATIONIBVS NON A VOTIS SORS
NOSTRA DEPENDET AT TOTA AB IMPERIO
FORTVNAE**

Nicht von Gebeten, nicht von Gelübden hängt unser
Los ab, nein, ganz und gar von Fortunas Herrschaft.

Noch ein Gruß von Epikur

**TIMORE MORTIS FINITO VITA VERA TIBI
INIBIT**

Mach Schluss mit der Todesfurcht!

Dann fängt für dich das echte Leben an!

Kassandra?

**INFINITA NEFANDA POSSESSIONIS
POTENTIAE AVIDITATE PERIBIMVS**

**An grenzenloser, verbrecherischer Besitz-
und Machtgier werden wir zugrunde gehen.**

Zeit als Continuum

HORAE RVANT TEMPVS NON MVTATVR

Die Stunden mögen dahinstürmen. Die Zeit ändert
sich nicht.

Carpe Diem

**NVNC NERVIS LYRAE SVAVITER
CONSONANTIBVS TIBI SALTANDVM SONO
FINITO RESTINGVETVR LVX FRVSTRA
CONITERIS**

Jetzt, da die Laute süß erklingt, musst du tanzen! Ist die Musik vorbei, geht das Licht aus und dein ist Strampeln umsonst.

Wird das wirklich wahr?

ERIT NE EXITVI HOMINI HOMO

Motto des Jahres als chronogrammatischer Dreisatz

SVBRIDERE NON IRRIDERE

AMARE NON VITARE


INSTRVERE NON PROSTERNERE

Anlächeln, nicht auslachen, lieben, nicht aus dem Weg gehen, errichten, nicht abreißen!

Haec undeviginti chronogrammata

Hannes Demming confecit.

XX CHRONOGRAMMATA IN ANNUM MMXX CONFECTA



PANTOCRATOR

Opud encaustum quod exhibetur in Germanico Museo Norimbergensi

Unser Leben geht dahin, niemand weiß, wie lange noch; Tag folgt auf Tag, Jahr auf Jahr, und doch ist der Plan schon von Gott bis ans Ende gemacht; so jedenfalls sagt es der Prophet Jeremias, und Jesus, unser Bruder, bezeichnet sich selbst als Weg, der von seinem Licht erleuchtet ist:

2020* **sCItote qVIA DeI, non est IpsIVs hoMINIs VIA VerItatIs et Vitae; IbItIs tVtIores In pIetate et VIIs sanCtae LVCIIs IesV ChrISTI fratris nostri**
– Wisset, dass der Weg seines Lebens in Gottes, nicht in der Hand des Menschen selbst liegt! Ihr geht sicherer in Frömmigkeit und auf den Wegen des heiligen Lichtes und Lebens unseres Bruders Jesus Christus. – vgl. Jer 10,23; Joh 11,9

2020* **aMor sIt tIBI Vere VIRTVs optIMA** – Liebe sei für dich wirklich die beste Tugend.

2020* **beatVs VIR qVI In DoMo DeI habItat.** – Glücklicher Mann, der im Hause Gottes wohnt! -

2020* **Da totIs serVIs tVIs Cor DoCILIIs sapIentIae pIae DIscernentIs reCta e faLsa.** – <Salomon betet:> „Gib all deinen Knechten ein Herz der lernbereiten Weisheit, um gottesfürchtig zwischen richtig und falsch zu unterscheiden!“ – 1 Kön 3,9

2020* **DeVs aDIVtor MeVs fortIs et sapIens sIne fIne est.** – Gott ist immer mein starker und weiser Helfer.

2020* **DIes Vitae nostrae In ManIBVs DeI sVnt.** – Die Tage unseres Lebens liegen in Gottes Händen.

2020* **eIa hoMo, VIta nostra a Deo, non a fortVna DIrIgItVr.** – O Mensch, unser Leben wird von Gott, nicht vom Glückszufall gelenkt.

2020* **eXpeCtans In Deo spera InfInIte! VIVenDo spIras et speras et speranDo VIVIIs spe saLVVs faCtVs. tVa spes est sICVt anCora fortIs tVta.** – Indem du ohne Ende in Gott ausharrst, hoffe (Ps 130,3)! Solange du lebst, atmest und hoffst du, und solange du hoffst, lebst du, bist durch die Hoffnung gerettet (Rm 7,24). Deine Hoffnung ist wie ein sicherer Anker (Hb 6,19).

2020* **IesVs ChrIstVs InVItat nos: VenIte aD Me, Inopes parVVLI et ContrItI qVI LaboratIs et oneratI estIs. ego frater fortIs refICIo Vos a totIs poenIs et LaborIBVs Vestris.** – Jesus Christus lädt uns ein: „Kommt zu mir, ihr armseligen Kleinen und Zerschlagenen, die ihr mühselig und beladen seid, ich, euer starker Bruder, will euch Erquickung verschaffen von all euren Qualen und Mühen! – Mt 11, 25.26

2020* In MeDIIs sIt et erIt totIs nobIs DIItIs VIRTVs. – In der Mitte soll und wird für uns die einträchtige Tugend stehen. - nach Aristoteles

2020* In neCessarIIs sIt nobIs VnItas, In DVbIIs LIbertas, In oMnIbVs VIVat ConCors CarItas In eXornata pVra VIta pIetatIs et VerItatIs. - Im Notwendigen herrsche bei uns Einheit, im Zweifel Freiheit, in allem lebe Liebe im reinen Leben der Gottgefälligkeit und Wahrheit. – nach einem Grundsatz der Scholastik

2020* LaVs et VIRTVs et gLorIa patrI, gLorIa Verbo fILIo, gLorIa spIRItVI sanCto, sICVt erat In prInCIpIo et nVnC et seMper et In totIVs aeternItatIs saeCVLa. aLLeLVIA. – Lob und Kraft und Herrlichkeit sei dem Vater, Herrlichkeit dem Wort, dem Sohn, Herrlichkeit dem Heiligen Geist, wie es war im Anfang so jetzt und allezeit und in alle unendlichen Ewigkeiten. Halleluja!

2020* prIMVM tIbI erIt VIVere! – Zuerst musst Du erst einmal leben!

2020* proteCtor noster fortIs et sapIens, aspICE, DeVs et respICE benIgne In faCIeM ChrIstI tVI! - Unser starker und weiser Beschützer, Gott, sieh her, schau gütig auf das Antlitz deines Gesalbten! – Ps 83,10

2020* qVIs DoMInVs et DeVs nIsI IesVs? – Wer ist Herr und Gott, wenn nicht Jesus?

2020* qVIs ergo separabIt Vos a patrIa aeterna CarItatIs ChrIstI, trIbVLatIo an angVstIa an InopIa an nVDItas an perseCVtIo fortIs an CrVX an sVperna an VMbrae? – Wer wird euch also von der ewigen Heimat und der Liebe Christi scheiden? Trübsal oder Entbehrung oder Bedrängnis oder Entblößung oder eine starke Verfolgung oder Kreuz oder die Mächte in der Höhe oder die in der Unterwelt? - vgl. Rom 8,35

2020* sanCtI erItIs totI In ConVersatIonIbVs VestrIs pIIs, qVIA ego sanCtVs sVM, aIt VoX DeI patrIs eX CaeLI. – Ihr alle sollt heilig sein in all eurem gottesfürchtigen Betragen, weil ich heilig bin, sagt die Stimme Gottes des Vaters vom Himmel her. – vgl. 1 Petr 1,16

2020* taCe sapIenter et ConserVa InCorrVpta et pVra tVa LabIa! nesCIt VoX LeVe MIssa reVertI, nVLLI taCVIse noCet, noCet nobIs LoqVI – Schweige weise und bewahre unbeschädigt und rein deine Lippen! Ein einmal nur leise ausgesprochenes Wort kennt keine Rückkehr, es schadet keinem, geschwiegen zu haben, es schadet uns, wenn man spricht! – vgl. Horaz, Ars poetica 390 – Disticha Catonis 1,22 (18 + 19)

2020* VerItas eXtabIt pro totIs nobIs seMper MaIor. – Die Wahrheit steht für uns alle immer größer da! – Oder andere Übersetzungsmöglichkeiten: Immer hat

für uns alle die Wahrheit das größere Gewicht. Oder: Immer hat für uns alle die Wahrheit den Vorrang. Oder: Die Wahrheit zeigt sich für uns alle immer überlegen. Es gibt so viele Interpretationsmöglichkeiten, was bei jedem Chronogramm immer gegeben sein sollte!

2020* **V**ita ho**M**In**I**s est **V**Mbra q**V**ae f**I**t et praeter**I**t. – Das Leben des Menschen ist ein Schatten, der entsteht und vergeht. – vgl. Hiob 14,9; Ps 143,4; Sap 2,5

**HAEC CHRONOGRAMMATA
CONFECIT
PATER HERBERTUS DOUTEIL
BRASILIENSIS**

FABELLA GRIMMIANA

99. De spiritu lagoenae incluso



Aliquando fuit lignicida pauper, qui laborabat a mâne ad multam noctem. Cum tandem aliquid pecuniae comparsisset, filio suo dixit: »Cum sis filius mei unicus, pecuniam sudore acido partam velim adhibere ad institutionem tui; si quid probum didiceris, me senem nutrire poteris, si membris meis rigidis factis necesse erit, ut domi sedeam.« Tum puer scholam altam ingressus tam diligenter didicit, ut aliquamdiu ibi manens a magistris laudaretur. Nonnullas scholas discendo transgressus, sed nondum omnibus in rebus perfectus, aliquantulum illud paupertatis, quod pater pepererat, iamiam consumptum erat, ut non posset, quin ad illum rediret. Tum pater contristatus: »Eheu« inquit, nihil iam tibi dare possum neque hôt tempore carissimo ne nummulo quidem plus merere possum quam panem cottidianum.« Deinde filius: »Care pater,« inquit, »noli de hac

re sollicitari, si Deus voluerit, haec res mihi optimê evadet; equidem perferam et obdurabo.« Cum pater in silvam esset profecturus, ut aliquid pecuniae acciperet ligno caedendo et tollendo, filius dixit: »Sine me tecum abire teque adiuvere.« Tum pater: »Mi fili« inquit, »haud scio an talem laborem aegrê passurus sis, nam quia durê laborare non assuevisti, hoc non perferes; ceterum unam tantum asciam habeo, nec pecunia mihi restat ad alteram emendam.« Deinde filius respondit: »Abi ad vicinum; qui certê tibi commodabit asciam suam in tantum temporis, quanto ipse laborando propriam meruero.«

Tum pater apud vicinum asciam commodavit, et postridie mâne primâ luce unâ profecti sunt in silvam. Ibidem filius patrem adiuvit animo alacri et vegeto. Tempore autem meridiano pater dixit: »Pausam faciamus et prandeamus, ut postea pergamus celeritate duplicatâ.« Filius autem pane manu sumpto: »Licet requiescas, pater, ego non fatigatus sum, per silvam ambulabo, ut quaeram nidos avium.« Tum pater: »O inepte,« inquit, »quid ibi ambules, postea fatigatus bracchium non iam tollere poteris; manê hîc et conside iuxta me.«

Filius autem in silvam profectus panem comêdit, perquam laetus inspiciebat ramos virides, num quem nidem inveniret. Sic ambulabat, usque dum tandem adveniret magnam quercum vetustam, quae certê aetate erat aliquot centum annorum et quae latior erat, quam ut eam quinque homines bracchiis complecterentur. Tum iuvenis pede constitit et quercum aspexit et intra se cogitavit: »Nonne quaedam aves in hac arbore nidos suos aedificaverunt?« Subito autem sibi visus est audire vocem fuscâ: »Sine me exire, sine me exire.« Circumspexit, sed nihil invênit, sed vox illa ei visa est venire ex terrâ infimâ. Tum iuvenis vocavit: »Ubi es?« Vox autem respondit: »Infra inclusus sum apud radices arboris quercûs. Sine me exire, sine me exire.« Deinde discipulus coepit sub arbore res ordinare et apud radices quaerere, usque dum tandem in cavernulâ inveniret lagoenam vitream. Quâ sublatâ luminique adversâ iuvenis animal conspexit aliquid ranae simile, quod in lagoenâ sursum saliebat deorsumque. Idem animal denuo vocavit: »Sine me exire, sine me exire«, et discipulus nil mali cogitans obturamentum e lagoenâ extraxit. Mox spiritus exiit et coepit crescere, tamque celeriter crevit, ut per pauca momenta temporis monstrum factum horribile, dimidiae quercûs magnitudine ante discipulum staret. Tum gigas clamavit voce

horrendâ: »Scisne, quam mercedem accepturus sis, quia me exire sivisti?« »Nescio,« discipulus respondit intimidus, »unde hoc sciam?« Deinde spiritus: »Ergo tibi dicam: Cervicem tuam tibi frangam.« Discipulus autem respondit: »Hoc tibi prius dicendum fuit. At caput meum velim restet coram te. In hac re rogandi sunt plures.« Tum spiritus iste: »Utrum sit« inquit, »unus an sint plures, non curo. Oportet tu habeas mercedem tuam meritam. Cogitasne me tamdiu inclusum esse propter veniam datam? Nequaquam! Verum enim vero, danda mihi fuit poena: Mercurius enim sum potentissimus, ei homini, qui me sinit exire, a me est cervix frangenda.« Tum discipulus respondit: »Paulisper, tam celeriter hoc non fiet. Primo oportet sciam, num tu reverâ insederis isti lagunculae et num sis spiritus verus; si tibi contigerit, ut in istam redeas, tibi credam, tibi que licebit de me facere quidquid volueris.« Tum spiritus superbiâ inflatus dixit: »Haec ars est parvula« se contraxit tamque tenuem parvumque reddidit quam fuerat in initio, ita, ut per eandem aperturam collumque lagoenae irreperet. At vix cum lagoenam introisset spiritus malus, discipulus iterum impressit obturaculum detractum lagoenamque deiecit in locum sub radicibus quercûs situm, ubi antea fuerat, et spiritus erat deceptus.

Nunc discipulus erat ad patrem rediturus, sed spiritus eiulabat perquam flebiliter: »Eheu me miserum! Sinas, quaeso, me exire, sinas me exire!« Tum discipulus: »Non,« inquit, »iterum te sinam exire; si quis vitae meae insidiatus est, eum denuo inclusum non iam sinam exire.« At spiritus eum obsecravit: »Si me liberaveris, tibi tantum dabo, ut tibi sufficiat per totam vitam.« Sed discipulus: »Non,« inquit, »te liberabo, alioquin enim me ita fraudares ut primâ vice.« Tum spiritus: »Tu corrumpis opportunitatem omnium optimam. Tibi nil mali faciam, sed mercedem tibi dabo amplissimam.« Denique discipulus cogitavit: »Bene, audebo. Fortasse ille promisso stabit, nec mihi male faciet.« Deinde obturaculo dempto spiritus, ut iam antea, e lagoenâ descendit et expansus factus est gigas. Qui dixit: »Nunc accipias mercedem tuam« et discipulo tradidit lobulum¹ emplastro similem et: »Si unâ parte lobuli finali« inquit »strinxeris vulnus, idem sanabitur; si alterâ strinxeris chalybem atque ferrum, idem mutabitur in argentum.« Tum discipulus: »Hoc« inquit, »primum conabor!«, iit ad arborem, asciâ corticem scarifavit, unâ parte emplastri finali

¹ *lobulus, -ī m. orig. *Läppchen*.

strinxit: mox cortex contractus et sanatus est. Nunc iuvenis spiritui dixit: »Bene, verum dixisti, nunc licet discedamus«. Denique spiritus discipulo gratias egit, quod ab eo redemptus erat, discipulus illi, quod donum acceperat, gratias egit et rediit ad patrem.

Nunc pater dixit: »Ubinam ambulasti? Quare oblîtus es laborem tuum exanclandum? Iam iam dixeram te hanc operam nullo modo esse perfecturum«. »Noli indignari, atta, quae neglexi, novâ operâ consequar.« Tum pater irâ incensus: »Scilicet te velle consequi. Licet velis, sed non poteris.« »Attende, atta, hanc arborem statim tam vehementer decîdam, ut bene crepitet.« Tum emplastro sumpsit eodemque asciam strinxit et ictum arbori impegit ingentem: at ferro in argentum mutato acies asciae est incurvata. »Eheu, atta, en aspice, quam malam asciam mihi dedisti, haec est perquam incurvata.« Tum pater territus: »Eheu me miserum, quid tu fecisti! Nunc debeo pecuniam solvere pro asciâ defectâ nec scio, unde sumam; vae mihi, istaec est utilitas, quam accepi operâ tuâ.« Tum filius respondit: »Utinam ne irascaris! Pecuniam solvam pro asciâ.« Hôc audito pater iratissimus: »O, tu baburre! Undenam sumes pecuniam? Tu nihil habes nisi id quod tibi do; in capite nihil habes nisi ineptiolas studentium, sed stultior es, quam ut concîdas ligna.«

Paulo post discipulus: »Heus atta, laborare non iam possum, finiamus opus hodiernum.« »Nequaquam! Sentisne me tam pigrum fore quam te? Mihi restat labor exanclandus, tu fac domum redeas.« »Heus atta, primum omnium hîc in silvâ sum, solus nescio, quâ viâ redeam, eas, quaeso, mecum.« Irâ placatâ pater tandem sivit filium secum loqui cumque eodem domum iit. Deinde filio dixit haec: »Abi venditum asciam incurvatam et vide, quantam pro eâ accepturus sis; cetera mihi ipsi merenda sunt, ut vicino solvam pro asciâ.« Filius autem asciam sumptam in urbem attulit ad aurificem, qui eandem ad obrussam exegit et dixit: »Haec ascia valet quadringentos thaleros, sed tantum pecuniae non habeo in numerato.« Tum discipulus: »Da mihi« inquit, »tantam pecuniam, quantam habes, reliquam tibi mutuam dabo.« Deinde aurifex discipulo dedit trecentos thaleros et centum sumpsit mutuos. Postea discipulus domum iit et: »Heus atta« inquit, »pecuniam habeo, i et roga vicinum, quantum velit accipere pro asciâ.« Senex respondit: »Hoc iam scio. Unum thalerum et sex grossos.« At filius: »Da illi« inquit, »duos thaleros et duodecim

grossos, hoc est alterum tantum et sufficit; vide me abundare pecuniâ« et patri dedit centum thaleros et dixit: »Utinam ne umquam tibi desit pecunia, vive secundum commodum tuum.« Tum senex: »Bone Deus« inquit, »quonam modo accepisti has divitias?« Nunc tandem filius patri narravit, quomodo omnia facta essent et ipse fortunâ suâ faustâ confisus tantam capturam fecisset. Denique pecuniâ reliquâ usus iterum scholam altam frequentavit et perrexit discere, et quia emplastro suo scivit sanare vulnera omnia, factus est medicus omnium illustrissimus totius orbis terrarum.

* * * *
* * *

FABELLAM GRIMMIANAM

CUI TITULUS EST

»Der Geist im Glas«

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

LABORINTUS EVERARDI ALEMANNI NUPERRIME EDITUS ET THEODISCE REDDITUS

Eberhard der Deutsche – *Laborintus*.

Nach dem Text von Edmond Faral herausgegeben, übersetzt und kommentiert von Justin Vollmann. Basel (Schwabe Verlag) 2020.

182 pp. Hic liber constat 28 Francis Helveticis (CHF).

<https://schwabe.ch/9783796540851/eberhard-der-deutsche-laborintus>

“**LABORINTUS**”, i.e. liber poetologiae mediaevalis ab Everardo Alemanno sive Eberhardo Bremensi inter annos 1212 et 1280 conscriptus, hōc anno ineunte editus et theodiscē redditus est a **Iustino Vollmann** Tubingensi germanistā litterarum mediaevalium peritissimo. Lepidus hic libellus continet introductionem, quā editor et interpres generaliter tractat opera medi aevi poetologica Laborinthique argumentum et specialitatem singularem (p.9-18); textum versionemque theodiscam eidem iuxta positam (p.25-108) necnon commentarium uberrimum (p.109-154), cui additi sunt indices litterarum (“*Bibliographie*”, p.155-174) et nominum locorumque (“*Register*”, p.175-181).

Iustinus Vollmann in praefatione opusculi affirmat se in Laborinto edendo et interpretando diligentissimē adiutum esse a **Thaliâ Vollstedt**, quae esset magnā inflammatione animi praedita. Eadem autem Thalia, olim discipula gymnasii Humboldtiani Ulmensis, nunc alumna in Universitate Tubingensi promotionis doctoralis candidata, de Laborinto in periodico nostro iam subtiliter rettulit: Legas, quaeso, cara Lectrix, care Lector, hanc symbolam:

Epistula Leonina 124, p.4-9:

Thalia Vollstedt: *De carmine ab Eberhardo Bremensi pacto, quod inscribitur “Laborintus”.*

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €
- 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... 22,00 €

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedou-s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedou-s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM NONAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ, 26. m.Ian. a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

